

materia his est, nū sit corpus Cometæ ex fumis uel ex æthere. Cum igitur est dissidiū de re tantū una, cur discernit Mizzaldus distinguendo inter genera rerum uaria? Dico ego, est ne materia Cometæ cœlestis uel elementaris? dicit ille, Cometa est cœlestis, propter efficientem causam: nam stellæ euocant fumos, est elementaris, quia ex fumis. sed ego dubito de materia ipsa nunquid ex fumo uel ex æthere sit. De materia igitur una iudicium est ferendum: & non erat pronuntiandum Dictatorium decretum, sed probandam fuit materiam esse ex fumis, uel non esse ex æthere. Sed ad maiora.

De Cometarum uiribus effectibusq; sunt duæ timidorum opiniones. Nam Astrologi dicunt Cometam esse tum signum, tum causam ærumnarum, quia per stellarū uires maleficas & fumorum siccitatem homines & natura affligatur. Theologi uerò (non de prudentibus loquor) multi, non tantum causam dolorum sed signum iræ diuinæ dicunt Cometam. Quanquam & Astrologi eò confugiunt, iratum esse nobis Deum, & iræ tantæ Cometam esse portentum. Et in eo maxime Astrologi peccant, dum aiunt, multas & apertas uires pestilentes, & hominibus alijsq; animantibus infestas in cœlo esse: presertim propter uarios planetarum congressus, ac stellarum dispositiones, & lunæ solisq; defectus. Cum tamē satis esse possit una Dei uoluntas: neq; uires cœli arcanae nobis unquam patuerint. Theologi uerò minus prudenter agunt, dum rei natura non intellecta naturæ studium rident, & ad miracula uenimus, prodigia clamitāt, flagella & fasces in cœlo apparere, brachium porrectum Dei: quare Philosophos in his decipere uociferātur. Fatebar hæc ipsa cū quodam Theologo differens, pēdere adhuc litē inter Physicos de natura, de materia, de loco, ac uirib. Cometę. Fatebar (quid em̄ pudeat ueritatis) me hæc omnia nescire, et uiros præcipuos eadē ignorare. Tū.

Cap. II.
Opiniones
de euentibus
Astrologi
euentus
Theologi
euentus